

66.

Viro Clarissimo
D. D. IO. BAPT. AYMEN
Botanico eximio

S. pl. d.

Car. Linnæus.

Literæ Tuæ V. C. mihi semper exoptatissimæ, nuper accessere, profeci in his iterum ex Tua doctrina, dum mihi docebas stamina *Thaliæ* et alia; pro quibus grates rependo maximas

Gratulor Tibi ex animo quod Parisios adieris, ubi poteris plurima quæ historiam naturalem concernunt, videre, et imprimis proficere ab eruditione summi B. Jussiei, quo nullus pluribus dives est observationibus, qui quotidie naturam legit, ejusque vestigia premit. Quæso in literis semper mihi referas ut valeat Vir optimus dulcissimusque, in cujus amplexu suavissima Flora nocte dique delectatur.

Cum *Ximenia* sit in Horto Parisino quæso dicas mihi quot ipsi sint stamina et pistilla. an *Triandra monogyna*?

Quid est *Monéria*? quid *Dayenia*? quid *Nissolia*? quid *Gualtheria*?

Elotea pulchra sane est observatio. *Gauram* diu perpendi, antequam ex ea novum constitueram genus.

Quæ in uno genere valeat ad genera distinguenda, non valere in altero, multis demonstrari posse absolute convictus sum, contra hanc regulam peccarunt imprimis germani; confer verticillatas, umbellatas, Papilionaceas, Ranunculos, Mesembryanthema.

Guetardiam Maneti et *Seguieram* non novi.

Pneumonante certe generis est *Gentianæ*.

Centaurium inaperto flore non vidi; miror num sit distincta species a centaurio minore.

Species meas plantarum, quam primum prelo exiere, jussi dari Legato Regis Galliæ Holmiæ commoranti, qui promisit se mox missurum exemplar Suavissimo D. B. Jussieo; miror valde quod non dum acceperit.

Zizaniæ si poteris semina aliquot ad me mittere, multum Tibi obstrictum me fore confiteor, sed dicas simul culturam graminis; annon crescat sub aqua?